

mum tradenda sunt, quæ ipsam pleuritidem monstrant; deinde quæ illius causas, tertio quæ differen-  
 tias ostendant, postremo quæ prænuent, quid sit futurum. Ac quum signa vniuersa sumantur  
 à quatuor fontibus, à rei (inquam) essentia, causis, effectis, & similitudine, excutiendi sunt sin-  
 guli fontes, & quid possit ab illis deriuare, videndum. Est autem pleuritidis essentia, inflammatio,  
 tumorque præter naturam membranæ ambientis costas, quæ si cernere possemus, ostenderent pro-  
 fectò quod quærimus. Verum quum internus sit affectus, internaque pars, ex tumore non licet si-  
 gna aliqua colligere, iam verò affectus ipsi plurimas exhibent notas. Sunt autem inter affectus qui-  
 dam, qui sequuntur affectum ipsum solum; alij, qui causas; alij, qui partem affectam; alij, qui diffe-  
 rentias pleuritidis; alij verò, qui à duobus, vel pluribus ex illis nascuntur; quæ quidem inter se di-  
 stinguere plurimum refert; quando non licet aliter perspicere, quæ communia, & inseparabilia sint  
 omnibus pleuriticis indicia, quæ verò quibusdam dumtaxat propria; quæ item immediata, uel longè  
 ab affectu remota statui debeant. Sequuntur etenim pleuriticos dolor punctorius latè fusus, qui  
 nunc ad clauiculam, nunc ad septum transversum, uel ad utramque partem, aut neutram, nunc etiam  
 ad manus extenditur. Tussis aliquando cum sputo cruento, aliquando verò sine sputo aliquo; fe-  
 bris vehemens, & acuta, pulsus celer, frequens, durus, & inæqualis ea inæqualitate, in qua ferro-  
 sus apparet. Spirandi præterea difficultas, delirium, rigor, calor in parte, decubitus nunc in latus af-  
 fectum, nunc in oppositum facilius. Ad hæc sitis, vigilia, deiecta appetentia, & similia ab autho-  
 ribus nostris traduntur, de quibus sigillatim agendum est, ut quid cuique conueniat, agnoscamus.  
 Nam dolor imprimis signum non est inseparabile; ubi enim vel delirat, qui laborat, vel maligna est  
 materia, quæ partis sensum necat, aut iam declinat, inflammatio, dolor non fit; & qui adest semper  
 punctorius non est, sed is dumtaxat, qui à sanguine puro aut bilioso committitur. Nec perpetuò  
 latè funditur dolor, sed quum magna est inflammatio; adeo ut pleuritidem non sequatur latè fusus  
 dolor, sed magnitudinem, differentiamque ipsius. Quum verò dolor urget in omni pleuritide ten-  
 sius est, & fixus; ac ubi magna est inflammatio, sentitur & pulsus quidam. Quod verò commu-  
 nicetur manibus dolor, non pleuritidem, sed membranam circa primum, & secundum interual-  
 lum costarum laborare id testatur. Dolor verò maior in vno latere quàm in alio aut æqualis, dum  
 decumbunt laborantes, non sequitur necessario pleuritidem sed illius differentias, & locum affe-  
 ctum. Id enim contingit, dum vna membrana aut alia magis afficitur, aut cum inflammatio in-  
 gens utramque pariter lædit. Extenditur autem ad clauiculam, vel septum transversum, uel mediam  
 dumtaxat membranæ partem occupat; id quod testatur magnitudinem inflammationis aut locum  
 affectum sequitur. At tussis necessario pleuritidem comitatur, vel quod aliquid in huiusmodi affe-  
 ctu per membranam continuò effluit, quod in pulmonem, asperasque arterias receptum ad expul-  
 sionem irritat uel ob dolorem lateris partis scilicet respirationi destinatæ, quo modo à sola refrige-  
 ratione thoracis eam accipere docet experientia, non tamen proprium est pleuriticis hoc indicium,  
 quando alijs, multis affectibus commune existit. Quod verò aliquid expuatur, aut non, id potius  
 morbi tempora, & materiæ qualitates, quàm morbum ipsum significat. Quum autem excernitur  
 sanguis purus, aut cum pituita, uel alio humore mixtus, & hoc, aut alio colore, crassitie, visciditate  
 infectus monstrat diuersum humorem non autem pleuritidem ipsam necessario ostendit. Quum  
 etiam crudum, aut coctum sputum index est temporum ipsius morbi: Sic sanè illius quantitas ma-  
 teriæ quantitatem, & qualitatem, vel loci differentiam, vel morbi tempora docet. Nam multum  
 reijci solet, ubi multa, nec rebellis est materia, locusque rarus, declinatque iam inflammatio.  
 Cæterum febris necessario pleuriticis arguit, quia locus affectus parum distat à corde, affectusque  
 ipse calidus est, non tamen ea perpetuo vehemens & acuta adest, sed dumtaxat quum sanguis purus  
 aut cum bile mixtus pleuritidem facit. Nec semper simplicior est, hæc quàm aliæ febres, nec ter-  
 tianæ modo in omnibus exacuitur. Si enim ex sanguine melancholico fiat, malignitate non ca-  
 ret, & ea sola tertianæ accessionem seruat, quæ ex bilioso sanguine, putrescente iam bile, nasci-  
 tur. At pulsus necessario in pleuritide mutantur ad magnitudinem, & celeritatem, & frequen-  
 tiam ob affectus caliditatem: durus vero & ferrosus non fit, nisi ubi multum tenditur membra-  
 na ex magnitudine inflammationis, in minoribus vero, aut pituitosis vel durities nulla adest, aut  
 certè non tanta ut ferrosus pulsus euadat. Iam uero respiratione inseparabile id est commune, & per-  
 petuum est omnibus pleuriticis symptoma; idque non solum quod pars læsa respirationi seruit,  
 quando refrigeratio illarum partium difficilem haudquaquam respirationem reddit, sed quod affe-  
 ctus in ea parte sit, qui motum liberum fieri impedit. Quare hoc indicium est, & partis affectæ, &  
 ipsius affectus; proprium uero nequaquam pleuriticis; siquidem multis alijs conuenit. Delirium, &  
 coma pleuritidem necessario non indicant, sed vehementiam, malignitatem, & uigorem inflam-  
 mationis, sicut & conuulsio; at rigor uix aliquid potest in pleuritide ostendere, sed potius quæ con-  
 tingunt pleuriticis ex febre indicat. Idem quoque sentiendum de siti, deiecta appetentia cibi,  
 quæ biliosam febrem, & iam consistentem monstrant. Calor etfi videtur sequi affectum ipsum,  
 tamen uix uideas aliquem laborantem eo morbo conqueri de calore in parte affecta. Capitis ve-  
 10